

FRAGMENTE DER ALTCOPTISCHEN LITURGIE.

VON

PROF. H. HYVERNAT.

(*Schluss*).

FRAGMENTUM F.

PIΓ (113)in omni decoro; inspirasti in eum spiraculum vitae; posuisti eum in paradiſo deliciarum, quem dedisti ei frumentum; constituisti angelos ei ministraturos secundum mandatum tuum. Deinde dixit Deus: « Non est bonum, hominem manere solum; faciamus ei adiutorium simile sibi ». Immisisti in eum soporem; dormivit. Secundum sapientiam tuam investigabilem tulisti unam de costis eius, cuius locum carne implevisti. Adam vero creatura erat e manibus Dei. Evam autem, quum fuisset aedificata, adduxit (Deus) ad Adam, qui dixit: « Ista est os ex ossibus meis, et caro de carnibus meis; illam vocabunt mulierem, quia sumpta est ex homine. » Posuit ambos in paradiſo; dedit eis omnem arborem quae in eo erat; dedit eis legem suam; posuit eis vim salutarem mandatorum suorum dicens eis: « Ex omni arbore quae est in paradiſo, manducando manducabitis, una tantum excepta •, de qua sola dixit eis: « Ne comedatis ex ea; si enim ex ea comederitis, morte moriemini •; non quod haec arbor pulchrior esset ce-

teris arboribus paradisi, sed propter mandatum quod manda-
verat eis dicens: « Ne comedatis ex ea ».

PIΔ (114) Quum autem videret gloriam nostram, qui
ab initio invidit generi nostro, ferre non potuit videns glo-
riam in qua eramus. Sed nos ad se in abjectionem detrahere
cuiuslibet surripere nobis fruitionem arborum paradisi nisus
est. — Et quum ingredi non posset ob Angelos circum pa-
radisum stantes quaesivit occasionem, qua nemo eum inve-
stigaret, neve eum cognosceret. Ipse enim stabat extra para-
disum, Eva autem intra sepem paradisi decerpens arbores.
Susciens formam non erectam immisit os suum ultra sepem
paradisi. Eva autem posuit aures suas ad os ejus. Mussitando
ad eam incantavit cor ejus, errare fecit judicium ejus ad
perditionem. Festinavit quidem illa revelare mysterium inter
se et Deum constitutum, quum (diabolus) ei dixisset: « Cur non
comeditis de omnibus arboribus paradisi? » Festinans (enim
mulier) respondit: « Deus dedit nobis facultatem comedendi
de omnibus arboribus quae sunt in paradyso; una tantum est
(de qua) dixit nobis: Ne de ea comedatis; quod si de ea
comederitis, morte moriemini. » Et fecit eam (diabolus pree-
ceptum) transgredi.

PIE (115) Et gustus arboris placuit oculis Evae quae
extendit manum suam, tulitque de arbore et comedit; fecit
et Adam transgredi secum. Postquam vero transgressi sunt
mandata quae Deus eis mandaverat, exuentes vestes cae-
lestes consuerunt folia ficus et contexerunt sibi pudenda.
Postea venit Dominus ad visitandam possessionem quam
plantaverat, ut videret, num administrator quem consti-
tuerat custodiret secundum preeceptum. Qui cum audissent
vozem Dei aufugerunt et absconderunt se inter arbores pa-
radisi. Iratus est qui non irascitur, et ejecit eos e paradyso
deliciarum, posuitque Cherubim et gladium igneum, vertentem
et vigilantem in via arboris vitae. Posuit eos in conspectu
paradisi ut, videntibus arborem de quibus non possent come-

dere, haec eis esset paena; (iussit eos) colere terram quin eis daret fertilitatem suam; gignere filios in tristitia, in dolore, in cruciatu cordis; requiescere super terram duram in fletibus multis. Postea vero misertus nostri qui Deus es bonus et amator hominum, liberare nos voluisti e manu illius qui in servitutem nos redegerat, cupiens iterum reducere nos in paradisum deliciarum.

PIΣ (116) Misisti prophetas tuos, et non potuerunt nos redimere; dedisti legem, et non fuit auxilium; voluisti te ipsum sponte morti tradere propter nos et propter vitam mundi. Nocte enim qua te erant tradituri,

ΕΥΛΟΓΕΙΤΕ

accepisti panem in manus tuas divinas, sanctas, elevasti oculos tuos in coelum ad Patrem tuum bonum et benedictum, gratias egisti super (panem), signasti eum, fregisti et dedisti discipulis tuis sanctis et apostolis tuis gloriosis, dicens: Accipite et comedite ex eo omnes vos; HOC EST ENIM CORPUS MEUM QUOD TRADETUR PRO VOBIS ET PRO MULTIS IN REMISSIONEM PECCATORUM VESTRORUM. HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM.

Simili modo iterum post coenam eorum accepisti calicem in manus tuas divinas, sanctas, miscuisti eum ex genimine vitis et aqua, elevasti oculos tuos in caelum ad Patrem tuum bonum et benedictum, gratias egisti super (calicem), benedixisti eum, sanctificasti eum, signasti eum et dedisti discipulis tuis sanctis et apostolis tuis gloriosis dicens: Accipite eum et bibite ex eo omnes vos; HIC EST ENIM SANGUIS MEUS NOVI TESTAMENTI QUI EFFUNDETUR PRO VOBIS ET PRO MULTIS IN REMISSIONEM PECCATORUM VESTRORUM. HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM. Quotiescumque enim manducaveritis hunc panem et biberitis hunc calicem, annuntiabitis mortem

FRAGMENTUM G.¹⁾

CIE (215) Tu es ovis quam occiderunt super lignum crucis,
per quam multitudo animarum salva facta est. Tu es medicus
qui vere sanasti morbos nostros. Si te nautam dico, tu es
gubernator illorum qui in mari navigant et fluminibus; si te
bonum dico, tua est tota radix bonitatis; si te leonem dico,
tu es leo victor de tribu Judae, de radice David. Te dicunt
regem; et tu es rex, filius regis Dei omnipotentis, qui es in
patre tuo, et pater tuus est in te cum spiritu sancto in sae-
cula saeculorum. Amen.

Flecte caput sub fine; est Filii.

Gloria tibi, Domine, in hac die resurrectionis, rex omnium
saeculorum; benedictus es in coelis. — Gloria tibi sedenti a dex-
tris patris tui in excelsis; benedictus qui venisti in mundum. —
Gloria tibi benedicturo hominibus; benedictus tu sumpturus
carnem ex Virgine sancta Maria sicut homo. — Gloria tibi, quia
tu es Deus verus et perfectus; benedictus tu in utero virginis
sanctae Mariae. — Gloria tibi quem peperit; benedictus tu

1) Dieses Fragment scheint einer besonderen Osterliturgie anzu-gehören. Nach meiner Ansicht enthält es zwei Gebete *Inclinationis ad Filium*. Diese Orationen wurden entweder nach dem Gebete, *Post orationem Pater Noster*, oder nach der Kommunion recitirt. Wie dem auch sei, der erste Typus der Liturgie muss jener der gregoria-nischen gewesen sein.

cujus stella luxit in oriente. — Gloria tibi quem pastores adoraverunt; benedictus tu qui es in (praesepio).

Cl₅ (216) Gloria tibi pannis involuto; benedictus tu in brachiis virginis sanctae Mariae. — Gloria tibi sugenti lac virgineum; benedictus tu descendens in Aegyptum prae timore Herodis. — Gloria tibi redeunti in Galilaeam; benedictus tu accipiens baptismum in flumine Jordane. — Gloria tibi, super quem descendit spiritus sanctus in forma columbae; benedictus tu in monte Olivarum. — Gloria tibi glorificato a multitudine clamante: • Hosanna in excelsis •; benedictus tu docens in templo. — Gloria tibi apprehenso a Judaeis; benedictus tu colaphis caesus. — Gloria tibi in cuius faciem exspuerunt; benedictus tu alapis caesus in facie tua divina propter nos. — Gloria tibi cuius caput arundine percusserunt; benedictus tu, cui crucem imposuerunt. — Gloria tibi qui projectus es¹⁾ a servis duris corde; benedictus tu in cuius capite posita est corona spinea. — Gloria tibi cui illuserunt milites impii; benedictus tu (appensus) in cruce. — Gloria tibi cuius manus et pedes divinos clavis affixerunt; benedictus tu inclinans cuput in cruce. — Gloria tibi

FRAGMENTUM H.²⁾

.
CKA (221) sedens super thronos eorum, oramus te et deprecamur te, Domine Deus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, ut extendas manum tuam invisibilem, lumine plenam super

¹⁾ Sic juxta communem significationem vocis copticae; ast hic suspicor eam vertendam esse: flagellatus es.

²⁾ Dieses Fragment gehört augenscheinlich derselben Liturgie, wie das vorhergehende, von dem es nur durch zwei Blätter getrennt

populum tuum totum, quorum capita inclinata sunt, quorum manus ad te extensae sunt ad petendam et quaerendam a te misericordiam.

Utique, Domine, miserere eorum omnium, parvulorum pariter et magnorum, masculorum et feminarum, et omnium simul, qui invocant nomen tuum sanctum. Oramus et deprecamur te, Domine Deus Omnipotens, ut angelum mittas iustitiae qui duxit olim populum tuum per manum servi tui Moysis. Esto dux populi tui in introitu et in exitu eorum. Introduc eos in domus suas, in habitationes suas benedictione plenos et gaudio. Per gratiam

Similiter iterum, flecte caput in fine.

Deus sancte omnipotens qui habitas in excelsis et humilia respicis, sancte qui in sanctis quiescis, misericors, abundans gratia, longanimis qui multus es ad miserendum, quem iniquitatis, pravitatis et peccati hominum taendet. Benedic populo tuo in bonitate tua. Benedic haereditati tuae, quia inclinant capita sua ad Dominum non tamquam coram sanguine et carne, sed coram gloria tua. Custodi eos, Deus, ut pupillam oculi; protege eos, guberna eos per dexteram Christi. Serva eos a tristitia, afflictione, a scando, a calumnia; concede nobis et illis ut adhuc hunc diem et omnes reliquos dies vitae nostrae in pace degamus. Per gratiam et charitatem

ist. Es enthält die Gebete *Inclinationis capit is post Communionem et gratiarum actionem*. Sonderbar ist es, dass sie an den Vater gerichtet sind, während die Gebete des vorhergehenden Fragmentes an den Sohn sich richten. Das ist der Grund, warum wir geglaubt haben, das sie einer speciellen Redaction der gregorianischen Liturgie zugehören, in der alle Gebete an den Sohn gerichtet werden müssen.

HAE VERO SUNT DUAE ORATIONES.....

Iterum invocemus Deum benefactorem et hominum amantem, gratias agentes illi, quod communicatione et participatione sanctorum suorum mysteriorum nos dignos fecit. — Domine, Deus omnipotens, gratias agimus tibi, quod nos feceris dignos sumendi Corpus et Sanguinem Christi. Custodi nobis fidem firmam in corde nostro. Ne condemnes quemquam ex nobis; sed confirma nos omnes in confessione tua. Custodi nos in virtute angelorum tuorum, per Unigenitum Filium tuum Iesum Christum Dominum Nostrum, per quem etc.....

N.^o CX. ¹⁾

..extende dexteram tuam de coelo et brachium tuum excelsum, ut benedicas populo tuo toti, magnos et parvos, sicut benedixisti Abraham, Isaac et Iacob.

ΤΑΣ ΚΕΦΑΛΑΣ

Gratias agimus tibi, qui nobis lumen aeternum largiris, qui benefacis animis nostris, qui viam sanctorum doces. Da nobis oculos spirituales quibus semper ad te respiciamus, et aures dociles, ut anima nostra omni gratia impleatur.

1) Dieses kurze Fragment enthält drei Orationen *Inclinationis capitinis post communionem*. Die letzten Worte der dritten Bitte scheinen anzudeuten, dass die Liturgie, der das Fragment zugehört, für Faststage bestimmt war.

Instrue in nobis, Deus noster, cor purum, ut cognoscamus magnitudinem tuam semper, Deus excelse et amator hominum. Benefac animis nostris, ad erigendas cogitationes nostras, ut sint immobiles et inconcussae, in gratiarum actione pro eo cuius participes nos servi tui minimi facti sumus; quia te decet gloria in omnibus per Unigenitum Filium Tuum Jesum Christum Dominum nostrum, a quo

ΤΑΣ ΚΕΦΑΛΑΣ

Domine qui bonus es solus, amator hominum qui omnia in summa tua misericordia diriges et qui semper super omnes vigilas qui te invocant in veritate; audi, Domine, precem servorum tuorum et gemitum eorum qui tibi capita sua inclinant, quaerentes a te misericordiam et benedictionem. Fac benigne, ut digni fiant habitationibus tuis sanctis, et laborem et jejunium quae famuli tui in tuo nomine suscipiunt, accipe, ut remittas peccata et illorum

Hiermit schliesst ab, was wir in den Manuscripten vom *Canon* besitzen. Die weiteren Stücke dieser coptischen Liturgie gedenke ich später zu publicieren.
